Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Adm. Illvstris Ac R.dissimi Domini D. Fr. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini Ord. FF. Prædicatorum

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, Anno M.DC.XLIX.

§.14. Ignorantiæ nostræ tenebras Christus dißipat lucem infundus intellectui, qua Deum distinctus cognoscat in SS. Sacramento.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53084

Visual Library

Gedeonis. populo Dei, adeo fortem vt potuerit deſtruere, & euellere quidquid obuium ſibi occurreret nec ſiſtere donec taberna ulam ſolo adæquaret. Cõgruentiam hic aduerto mirabilem quoad efficaciam Diuini huius panis, qui cunctos ſuos ſubijcit & proſternit inimicos, inclytam de illis omnibus tribuens ei victoriam, qui hunc comederit, ex Diuina virtute quam illi communicat in
Iud. 7. ea vita, quam illi concedit nempe vita Dei. *Qui manducat me viuet propter me.* Erat Gedeon populi Dei dux & protector, ſuaſque contra Madianitas educebat legiones: in ſignum autem futuræ victoriæ, viſus eſt panis ille ſubcinericius deſcendere in territoria Madianitarum, cunctaque euertere: euidens indicium à Deo datum quo militum animos roboraret talia in pane illo notantes prodigia: & poſtquam hæc ita facta quis narraſſet: vnus de grege miles Gedeonis hæc ita interpretatur: *Gladius Gedeonis eſt hic.* Panis hic adeo prodigioſus gladius eſt Gedeonis, cumque ita fortis ſit, vt ſigna confirmant, animum reſumamus, à parte noſtra ſtabit victoria & inimicos, claſſes, ruina manet & interitus, omnes etenim vt tabernaculum ſolo proſternentur. Hoc ſigno illorum corda Deus confortauit, ne animum abijcerent, donec victoriam obtinuiſſent, vt de facto deletis hoſtibus eam conſecuti ſunt illuſtriſſimam.

XIII. Panis eſt & gladius. O Panem Diuinum! O Cæleſte Sacramentum quod cor hominis confirmat illa Dei vita ipſi communicata. *Panis cor hominis confirmet.* Panis ſubcinericius eo quod ſub eius accidentibus Deus viuus & Chriſtus lateat eadem vita quam à Patre accepit eam communicanti conceſſurus, qua cunctis ſuis præualeat inimicis. Panis eſt quia ſpecies talem illum ſenſibus repræſentant: ſed gladius fortis & potens, qui vires nobis contra inimicos tribuat potentiores: quia in eo latet humanitas; Gladius Gedeonis Chriſti, hac diuicit diabolum, iugulauit mortem, infernum deprædatus eſt, cumque ita compreſſit, velut qui vuas exprimit, vt antiquorum Patrum animas
Oſe. 3. reſtituerit. *Morſus tuus ero inferne:* q. d. Futurus ſũ inferno buccella tantæ fortitudinis, vt eum cogã euomere quas continet SS. Patrum animas: ſicut dum aliquis comedit quod ei vomitũ prouocat. Et illud: *Ero Morſus tuus* non actionẽ denotat ſed paſſionem, q. d. ero Morſus talis inferno, vt me recipiens factũ hominẽ in ſtomacho ſuo, in quo ſũt SS. Patres, cogã eũ illos euomere, velut is qui vi cibi ad vomitum etiã inuitus prouocatur. Expoſitio hæc adſcribitur Ruperto.

Hæc igitur humanitas Chriſti eſt machæra, cuius anima ad inferos deſcendit, quã nec momento quidem temporis Diuinitas deſeruit, nec ipſam nec corpus in ſepulchro defunctum, licet anima per mortem à corpore receſſiſſet, quod alias expoſuimus: hæc inquam humanitas illa patrauit facinora & quotidie alia præclara facit in SS. Sacramento, ſub cuius ſpeciebus viuia ſemper manet Diuinitas, ob cuius vnionem dicitur in eo eſſe per concomitantiam. Hic vincit diabolum, virtutem animæ tribuit cæleſtem qua illum proſternat vt illi nequeat præualere, gratiarum ditat incrementis, donis cumulat ſupernaturalibus & vitam communicat propriam. Vbi ergo tam inſignia clarent facinora, non minus hic aliquid quam Chriſti gladium attendamus. *Gladius Gedeonis eſt hic.* Nunc igitur liceat potentiſſimos patiamur Madianitarum exercitus internos & externos, noſtræ ſtudentes damnationi, animæquiores ſimus, gladium hic habemus, Chriſtum inquam nobis vitam dantem à Patre ſuo acceptam, quæ noſtræ virtutem confirmet, cuius robore nobis victoriã polliceri poſſimus, contra potentiſſimum inimicum diabolum: hunc enim proſternemus vireſque eius collidemus: vbi namque vita viuit Dei, eius ſemper vita deſtruitur. Ad illum igitur accedamus: *Accipite & manducate; hoc eſt Corpus meum.* Ex frequenti Communione omnia nobis ſubuenient auxilia & præclariora dabunt gloriæ incrementa. XIV.

§. 14. *Ignorantiæ noſtræ tenebras Chriſtus diſſipat lucem infundens intellectui, qua Deum diſtinctius cognoſcat in SS. Sacramento.*

DIſpoſitio congruentior qua noſter illuminetur intellectus ad cognoſcendum Deum multo clarius, ea eſt quam declarat Pſalmographus nimirum qua Deo approximamus, vnde noſter intellectus in eius cognitione magis illuſtratur. *Accedite ad eum & illuminamini.* Cum autem in SS. Sacramento Deum habeamus nobis viciniorem, hic enim ſe ſingulis eum recipientibus vnit, hinc in illo intellectus hominis magis præparatur vt eius altiorem obtineat cognitionem, diſſipatis prius ignorantiæ ſuæ tenebris. Notandum circa præceptum Domini de panibus propoſitionis: meo namque iudicio effectum hunc præfigurarũt SS. Sacramenti, nimirum quod in vna parte templi in qua pa-

nes illi erant, voluerit vt ſtatueretur candelabrum aureum cum lucernis quarum ſplendore panes illi illuminabantur, vt tanto clarius innoteſcerent. Quorum illuſtratio ſymbolum fuit illius quam in nobis panis hic Diuinus producit, vt tanto clarius Deum cognoſcamus in illo latentem cum tota ſua maieſtate, omnipotentia, ſapientia & magnitudine.

II. Panis propoſitionis figura SS. Sacramenti.

Mille titulis panes illi propoſitionis SS. præfigurant Sacramentum. Primus ſumitur ex mandato Dei quo iuſſit vt illi ſemper in conſpectu eius ad introitum templi in menſa collocarentur: *Panes ſuper menſam panis propoſitionis in conſpectu meo ſemper.* Cum in templo Eccleſiæ ſemper exponatur SS. Sacramentum coram Deo in menſa Altaris, vt nullo negotio, nullaque dilatione, quotieſcumque voluerimus eum recipiamus, multam habet cum illa figura cohærentiam. Secundus fit quia iuxta D. Hieron. in traditionibus Hebraicis ſoli ſacerdotes panes hos præparabant, & coquebant vt conſtat ex cap. 24 Leuit. & ipſi ſoli hos panes conficiebant, quo dabatur intelligi ſolis ſacerdotibus nouæ legis incumbere panis huius Diuini conſecrationem & fidelibus diſtributionem: *Solis Presbyteris quibus ſit congruit vt ſumant & dent cæteris.* Hebraice panes illi vocantur: *Panis Phanim* id eſt *panes facierũ*: nõ quod facies præferrẽt ex parte ſuperiori & inferiori vt ſingula pars facie notaretur: ſi namque hoc ita fuiſſet non bene D. Hieron. illos vocaret panes propoſitionis in ſingulari vt notarunt Lyranus & Abulenſis: potiſſimum cum pro vt colligitur ex verbo Græco ſecundũ Septuaginta, hoc quod declaratur, dum dicuntur panes propoſitionis, ſit quod panis ſit præpoſitus oculis omnium & ita verterunt Septuaginta: *Panes præſentes & expoſitos*: & vocantur panes multarum facierum quia ſemper in menſa in conſpectu Dei collocabantur. Quod euidentius patet ſi notetur quod vox hæc *Phanim* in Hebraico numerum non habeat ſingularem, vnde *Panes facierum* idem eſt quod *Panes faciei*: Panes coram facie & præſentia Dei.

Lev. 1. Malach.

III. Cur dicantur facierum.

2. Paral. 4.

IV. Alia ratio.

Verumtamen aliud in hac nominatione myſterium occurrit: nam in illa proportio declaratur inter illos panemque noſtrum Diuinum, hæc nimirum quod vocetur panis faciei: cum cum enim figura ſit SS. Sacramenti, ſuadet æquitas hoc nomine illud appellari: quia panis hic Diuinus, panis tantum eſt quantum ad faciem quæ apparet oculis corporalibus, cum ita ſit quod ſubſtantia ſub his latens accidentibus, non ſit ſubſtantia panis, ſed corporis SS. Chriſti Domini. Et ita SS. Patres Antiqui, expoſuerunt panes illos propoſitionis vmbram fuiſſe & figuram huius panis cæleſtis quo Chriſtus Eccleſiam ſuam in menſa Altaris honorauit, qui ſpeciem habet & accidentia panis noſtri vſualis, tamen interius corpus continet Chriſti Domini quod nobis ſub illius panis datur accidentibus. Ita D. Cyprianus: *Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat, & non effigie ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro, & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur & latebat Diuinitas, in Sacramento viſibili Diuina ſe infudit eſſentia.*

D. Cypr. Serm. in Cœna Domini.

Statuit Deus vt Panibus illis præponeretur candelabrum aureum cum lucernis, vt ſignificetur illa illuminatio qua colluſtratur intellectus lumine Diuini huius Sacramenti, quod omnem expellit caliginem & ignorantiæ obſcuritatem: communicat autem illi claritatem ac ſplendorem, in ſecura certaque Dei cognitione: ita vt in S. Communione multarum rerum ac myſteriorem Dei notitiam homo percipiat, quæ prius ignorabat. Aduertit hoc D. Cyril. Alexan. etenim explicans verba D. Ioan. in quibus agit de Iuda, de proditorio eius ſcelere, infauſtoque animæ eius ſucceſſu, & fine quo vitam clauſit omnium infeliciſſimo: *Cum accepiſſet ille Buccellum, exiuit continuo. Exiuit continuo* (inquit D. Cyrill.) vt de Chriſti negotiaretur venditione, feſtinans eam ad finem deducere: verebatur enim ne ſi vel pauliſper moraretur, panis ille Diuinus quem de Chriſti manibus acceperat, intellectum ſuum illuſtraret, ſceluſque agnoſceret, a que ex eius grauitate motus ad pœnitentiam continuo contractum reſcinderet, & ita ſuſpenderetur mortis Chriſti executio, quam diabolus omnibus conabatur viribus accelerari: nefas ducerem vobis eius hæc verba ſubtrahere. *Id factum eſt quia verebatur ne panis ille Diuinus, quem Iudas acceperat, ipſum illuminaret, vt tandem cognoſceret peccatum ſuum, & facti pœnitens venditionis pactum reuocaret, aut reſcinderet, & ſic mortem Chriſti quam diabolus modis omnibus procurabat maturare, ille per pœnitentiam ſuam retardaret. Abijt ad diaboli opus nihil pecunia melius putans, quodque maius eſt, nihilà benedictione (id eſt Euchariſtia) adiutus, cum poſt panem omnino ſe parauerit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne ſcintillam in animo eius accenderit, ac inde illuminauerit, & ad meliora traxerit, magna præcipitem* (ſc. diabolus)

50

V. Panibus candelabrum apponebatur.

D. Cyr. Li. 9. in Ioan. c. 19.

Ioa. 13. 30.

VI. Ideo Iudas exiuit.

diabolus) celeritate. Itaque dæmon inimicus Chriſti perpetuis immerſus tenebris, cuius habitatio perenni premitur caligine, Iudam fortius inſtigauit, vt in finem deduceret venditionem Chriſti de qua iam cum Iudæis conuenerat: veritus ne lux, quam eius intellectui panis hic cæleſtis infunderet, ipſum à contractu faceret reſilire, & peccati pœnitens quod eius virtute cognouerat, diſſolueret quidquid de morte Chriſti concluſerat, & ipſe peruerſa ſua fraudaretur intentione. Et ſi teſtimonium inimici ſit omnium fortiſſimum ac prægnantiſſimum, cum ſit in certificationem illius qui illum vt talem iudicat, licet diabolus ex timore Diuinæ huius lucis, teſtimonium perhibeat de ea, quam Diuinus hic cibus recipienti communicat: procul dubio multum per illud vrget vt cognoſcamus illuminationem quam cæleſtis hæc eſca noſtro infundit intellectui.

VII. SS. Sacramentum mētem illuminat.

Quod ſi teſtimonium hoc minime ſatisfaciat, placeat illud quod nobis dare poſſunt duo illi diſcipuli profecti in Emaus quibus tertius ac medius Chriſtus apparuit: & quamuis illis congreſſus ſermonem inferret de tranſactis à paucis diebus in Hieruſalem, illorum tamen oculi tenebantur, ne illum agnoſcerent, donec proximi Caſtello & pariter in eo reſidentes horam cœnæ exſpectarunt, in qua Chriſtus panem SS. ſuis ſumens manibus benedicens ac frangens illis comedendum porrexit, quo tempore Chriſtum agnouerunt illuminati ſunt, atque luce illa quam cum illo pane illis tribuit, cognoſcere potuerunt quod vſque modo ignorauerant. Si cauſam noſſe deſideres cur nunc illum cognouerint & vnde lux illa claruerit eorum illuminans intellectus, ex opinione D. Chryſoſt. D. Auguſt. & aliorum SS. Patrum, panis ille conſecratus hanc eis lucem infudit, quem iam acceperant; & hoc liquido conſtat: quia vt colligimus ex actibus Apoſt. fractio panis illius erat illi propria, qua Chriſtus SS. Euchariſtiæ Sacramentum fregit, quod proſequitur D. Auguſt. & his verbis clarius explicat: *A Chriſto facta eſt permiſſio, videlicet impedimentum in oculis diſcipulorum vſque ad Sacramentum panis, vt veritate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum.* Confirmat autem hoc Theophilactus quando declarans virtutem quam tribuit intellectui creato lux quam illi communicat in SS. Sacram. ſic ait: Lux illa qua diſcipuli tendentes in Emaus illuſtrati Chriſtū cognouerunt, proceſſit ex eo quod frangens panē illum Sacram illis exhibuit Communionem: *Magnam & ineffabilem vim habet Dominicæ carnis* [illegible] *eamque ſumentibus aperiuntur oculi*: itaque ſic modo illis aperti ſunt oculi quibus Chriſtum cognoſcerent *In fractione panis.* Quia lumen quo noſter intellectus colluſtratur ad Dei cognitionem, maxime reſplendet in pane cæleſti SS. Sacramenti, in quo latet Corpus & Sanguis Chriſti.

Citantur ab Henrico l. de Euch. c. 11 Act. 2.

D. AVG. *Lib. 3. de Conſenſ. Euang. c. 25.*

VIII. Probatur exemplo.

Hinc vocauit illum D. Chryſoſt. lumen ſupernaturale & Diuinum, ob excellentem de ſua [illegible] Deo cognitionem quam tribuit communicanti. [illegible] Huic conceptui ſuffragatur D. Hieron nam ſingulariter locutus de hoc Sacramento meminit [illegible] celeberrimi illius conuiuij quo Patriarcha Ioſeph fratres ſuos honorauit notatque celebratum fuiſſe in meridie: *Illi vero portabant munera, donec ingrederetur Ioſeph meridie: audierant enim* [illegible] *quod ibi comeſturi eſſent panem.* Quando ſol pleno lumine mundum illuſtrabat, lucemque ſuam [illegible] omnibus reuelabat partibus, in ipſo ſplendore Diei tunc Ioſeph cum fratribus epulatus eſt, quo ſignatur quod in conuiuio illo quo verus Ioſeph Chriſtus fratribus ſuis hominibus inſtituens ex ratione naturæ humanæ quæ in ipſo eſt, daturus illis eſſet in cibum panem illum cæleſtem Corpus ſc. ſuum ac ſanguinem, lux illa reſplenderet Diuinę eius cognitionis in mentibus conuiuantium, ab illis procul abigendo ignorantiæ tenebras, eo modo quo ſol de mundo in meridie omnem procul pellit caliginem: *In plena luce* (ſic loquitur D. Hieron.) *atque meridie bibitur à Ioſeph cum fratribus ſuis & complebitur plenius quando inebriabitur terra benedictione Domini.* Ad declarandum mirabilem huius Diuini cibi in Communicantibus effectum à mentibus eorum ignorantiæ noctē expellendo, & luce Diuinæ cognitionis illuſtrādo, dicit quod illud conuiuiū Ioſeph, figura illius quod Chriſtus diſcipulis ſuis præparauit perfectē fuerit in meridie: quando namque verus Ioſeph Chriſtus diſcipulos ſuos ad cæleſte inuitauit conuiuium, licet tempus quo celebrauit illud, fuerit veſpera imo nox: *In qua nocte tradebatur,* quantum ad oculos corporales, attamen ſi mentis oculis conſideres, inſtituit illud velut in meridie ob plenam cognitionem quam à Chriſto hauſerunt media illa luce plena quam illis in hoc conuiuio communicauit.

Gen. 43.

D. Hier.

Naſcitur Chriſtus media nocte: *Cum medium ſilentium cōtinerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet,* ſed quantum ad cognitionem de

Sap. 18.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

de Deo in eius natiuitate, quaſi in meridie naſcitur, ob lucem quam perfectiſſimam ad ſui cognitionem mentibus infudit mortalium. Manè ſol oritur & quaſi vmbræ tenebroſæ ab illo fugientes velut à mōtibus præcipitantur in campos valleſque in quibus quaſi dilatantur: quando vero ad occaſum tendit velut locum repetens quem ante deſeruerat: *Altis cadunt de montibus vmbra*: Verumtamen dum ſol in meridiem aſcendit medioque curſu voluitur, quaſi in ſe omnes colligit vmbras, vt illas non patiatur dilatari, eoque modo totum orbem pleno colluſtrat lumine, vt vix in arboribus vmbra videatur & meô iudiciô, non illis permittit vt vmbram habeant, eo quod luce ſua cuncta colluſtret. Si natiuitatem veri ſolis iuſtitiæ Chriſti Domini conſideremus, nonnullas videbimus promiſſionum, figurarum & oraculorum vmbras nobis illum indicantes: erant etenim velut vmbrę totum mundum occupantes. Si occaſum huius diuini Solis attendamus mortem nimirum eius, totam terræ ſuperficiem, tenebrarum vmbris dolebimus abſorptam: *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.* Porro ſi mentis oculos conijciamus in cœnaculum in quo Chriſtus SS. inſtituit Sacramentum, iam gaudebimus omnes figurarum antiquarũ diſſipatas vmbras, manducato iam Agno Paſchali & lactucis agreſtibus amaris, iam confractis baculis, quos tenebant in manibus Agnum comeſturi, & combuſtis igne Diuini amoris, qui adeo rutilus ferrenſque apparuit in inſtitutione huius SS. Sacramenti, & tandem abſolutis iam ceremonijs & præceptis legalibus, quia iam harum omnium figurarum venit complementum & lux meridiana in hoc pane cœleſti reſplendens, in quo iuxta iudicium D. Greg. Nyſſ. ſponſus Eccleſiæ Chriſtus requieſcit velut in meridie: quia panis hic meridianus ſicut de mundo vmbras eliminauit figurarum veteris legis, & in illo omnia impleuit, quæ illæ ſignauerant: ita ſimiliter luce ſua, mentibus noſtris lumen infundit, & depulſis ignorantiæ noſtræ tenebris, intellectum illuminat quatenus lucernis candelabri aurei altiſſimæ de Deo cognitionis, quam homo percipit in SS. Sacramento, poſſit Diuinā ſapientia cognoſcere eius magnitudinem, omnipotentiam, & virtutem infinitam quæ tantum hic innoteſcit, vt illum nec vmbra impediat nec vllæ ignorantiæ tenebræ obumbrent.

X. Chriſtus quomodo [illegible]catur [illegible] in meridie.

XI. Lux diuina nobis in SS. Sacramento tribuitur.

Hoc dico ex D. Bernardo dum loquitur de perſpicacitate viſus, quam fides communicat, quæ conſtanter tribuitur in Sanctiſſimo Sacramento: *Linceos habet oculos, cognoſcit filium Dei lactentem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem, proinde etiam agnoſcit ſub accidentibus latitantem, & ſicut fidei in via reſpondet veritas patriæ, ſic & communicationi fidei huius Sacramenti reſpondebit vera & æterna participatio Dei.* Talis eſt illa lux quæ nobis hic conceditur, vt mentis oculos communicantis reddat perſpicaciſſimos vt cognoſcere valeat in Chriſto Diuinitatem, & tunc potiſſimum, quando nobis illa proponitur magis occulta ad vbera ſuſpenſa Virginis Mariæ, in arbore Crucis à ramis eius pendens atque in ea velut homo moriens, nec non accidentibus panis & vini contecta, quando ſub illis accipitur: ipſe namque mentis oculos illuſtrat ad cognoſcendum Deum.

D. Bern. Ser. 2. de Epiphan.

Argumentum propono perelegans D. Anaſ. Synai. quo ponderat illud de primis noſtris parentibus iam præceptum vetiti fructus tranſgreſſis: *Aperti ſunt oculi amborum: cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos &c.* & firmiter credit ex ſingulari beneficio Deum illis oculos aperuiſſe quo nuditatem ſuam agnoſcerent: confert autem hoc illi cuius ſupra meminimus, dum Chriſtus duobus diſcipulis in Emaus oculos aperuit quo Diuinam eius cognoſcerent perſonam in fractione panis quem ambobus diſtribuit: *Audi quid facit poſtquam ſurrexit à mortuis, Cleophà & qui cum eo erat, Luca, ad Emaus ab Hieruſalem, ſicut Adam & Eua ſeparatis, & lucem veram non videntibus, Ieſus appropinquans ambulabat cum eis, & oculi eorum adhuc tenebantur ne eum agnoſcerent, atque hic quidam fuit videndi defectus.* Sed aduerte quod ſequitur: *Factum eſt autem cum ipſe recumberet cum eis accipiens panem benedixit,* Conſecrauit: *Et frāgens dedit eis: aperti ſunt autem oculi eorum & cognouerunt eum.* Itaque cibum acceperunt certum, atque in illo maiori certitudine aperuit illis oculos, ac virtutem vireſque adepti ſunt quibus illum cognoſcerent, quas protoplaſti parentes noſtri amiſerant in cibo fructus interdicti, vt autem oculi illis aperirentur quo propriam agnoſcerent nuditatem, opus fuit vt Deus ex ſingulari beneficio illos eis aperiret. Porro Diuinus hic panis tantam continet virtutem & excellentiam vt luce ſua illuminet intellectum, vt aperiens oculos ſuos obtinere poſſit ſublimem & claram de Deo cognitionem, quando accedit illum in communione ſumpturus.

Lib. 10. Hexam.

Gen. 3. 7.

XII. Beneficiũ fuit Dei quo primis parentibus aperti ſũt oculi.

§. 13. Vt